



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Anthologia Sacra**

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis  
versibus comprehensa

**Billy, Jacques de**

**Parisiis, M.D.LXXV.**

Rebus caducis fidendu[m] non esse. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50828)

S A C R A

dor eius apparet terreno sensu  
videntibus, appareat & propin-  
quet subiugeturque sapientiæ:  
quod eius luce secretissima exul-  
tās, caueat facere iustitiam suam  
*Mat. 6.* coram hominibus, vt videatur  
ab eis: sed, cum gloriatur, in do-  
mino gloriatur: quia & cum ap-  
paret hominibus, dono Creato-  
ris apparet.

Rebus caducis fidendū non esse.

3.

**A**N sapit is, pressus qui fluctibus arripit algam:  
Nec solidis nixus littora tuta petit?  
Haud magis ille sapit, qui vite in fluctibus huius  
Preponit solidis fluxa, miserque perit.  
Vt fugias igitur tanti discrimina ponti,  
Nec caput ista minax obruat vnda tuum:  
Spemque, fidemq;, agapemq; tene, fluxa omnia linquēs.  
Has nihil in tabulas vlla procella potest.

S C H O L I A.

Huius Carminis argumentum  
à Bernardo mutuatus sum, cuius

ferm. I. de aduēt. hæc verba sunt. Infelices filij Adam, omissis veris & salutaribus studiis, caduca potius & transitoria quærunt. Quibus assimilabimus homines generationis huius, aut quibus cōparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus consolationibus auelli separarique nō posse? Profectò similes sunt his qui submersi periclitantur in aquis. Nimirū videas eos tenere, nec vlla ratione deserere, quod primū occurrerit manibus, quicquid sit illud: licet sit tale aliquid, quod omnino prodesse non possit, vt sunt radices herbarum, cæteraque similia. Sic pereunt in hoc mari magno & spatioso, sic pereunt miseri, dum peritura festantes, omittunt solida: quibus apprehensis emergere & salutare possent animas suas. neque enim

## S A C R A

Ioan. 8.  
Lib. 2.  
pad. cap.  
10.

de vanitate, sed de veritate dicitur, Cognoscetis eam, & liberabit vos. Hæc Bernardus. Ad eundemque modum Clemens Alexandrinus stultos ait, non veris ac solidis rebus, sed iis tantum, quæ specie tenuis atque opinione sunt, animum adiicere: perindeque illis, vt mente captis, accidere, qui alba nigra esse sibi fingunt.

Carnale gaudium nil esse  
præ spiritali.

4.

**S**idera qui, nunquam spectato Sole, videret,  
Aut etiam quæ dat lumina nocte soror:  
Nusquam splendidius lumen, nec clarius orbis  
Quæ præluceret, crederet esse facem.  
Sic quoque qui sancta non sensit gaudia mentis,  
Hæc, caro quæ sequitur, gaudia sola putat.  
At qui letitiam nouit sensitque priorum,  
Protinus huic mundi nil sapit omnis amor.

## S C H O L I A.

Plato initio lib. 7. de Repub.